

Qui orationum Isocratearum in archetypo codicum ordo fuerit.

B. Keilius in 'analectis Isocrateis' p. 73/76 orationum Isocratearum ordinem, quem codex Γ tradidit, explicare studuit, cum codicem Urbinatem antiqui cuiusdam canonis fidissimum testem habeat. Orationes enim tres in partes septenarum orationum divisas esse cognovit, quarum prima et laudationes (Helena, Busiris, contra sophistas, Euagoras; cf. τῶν τεσσάρων ἐγκωμίων in arg. or. XI et XIII) et paraeneses (ad Demonicum, ad Nicoclem, Nicocles) continentur, cui oppositae sunt orationes deliberativae et iudiciales.

Attamen Keilius ad certum quandam finem quaestionem non adduxit, cum canonis illius imaginem refingere conatus sit unius Urbinatis ordine nisus, quo quamobrem oratio contra sophistas — ut exemplo utar — inter encomia posita sit minime expedit. Equidem dissertatione, quam 'de codicum Isocrateorum auctoritate' conscripsi, et Urbinatem et vulgatos codices (ΘΑΠ) ad unum archetypum redire mihi videor demonstravisse, quo vulgatae quoque recensionis libros (nam etiam archetypum codicum vulgatorum ex communi archetypo deductum recensitum fuisse pro certo habeo) in archetypi ordine restituendo respiciendos esse apparet, etsi Urbinati maior fides tribuenda est. Quare diversum orationum ordinem, quem in codicibus invenimus, illustro ordine codicum ΓΑ et Photii, quem codicem cum Θ coniunctum adhibuisse ostendi (Leipziger Studien XVII, p. 62), iuxta posito:

	Γ	Phot.	Θ	Λ
1 Helena		ad Demonicum	—	ad Demonicum
Busiris		ad Nicoclem	—	ad Nicoclem
contra sophi- stas		Nioccles	—	Nioccles
Euagoras		de pace	—	Panegyricus

	Γ	Phot.	Θ	Λ
5	ad Demonicum	Panegyricus	Helena	Helena
	ad Nicoclem	Areopagiticus	Euagoras	Euagoras
	Nicocles	Plataicus	Busiris	Busiris
	Archidamus	Archidamus	Panegyricus	contra sophi- stas
	Areopagiticus	contra sophi- stas	Areopagiticus	Plataicus
10	Plataicus	Busiris	Plataicus	Areopagiticus
	de pace	Helena	Archidamus	Philippus
	Philippus	Euagoras	contra sophi- stas	de pace
	Panathenaicus	Philippus	Philippus	Archidamus
	Panegyricus	Panathenaicus	Panathenaicus	Panathenaicus
15	Aegineticus	de permuta- tione	de permuta- tione	de permuta- tione
	de permuta- tione	in Callimachum	—	in Lochiten
	de bigis	Aegineticus	—	in Euthynum
	Trapeziticus	in Euthynum	—	de bigis
	in Lochiten	Trapeziticus	—	Aegineticus
20	—	in Lochiten	—	Trapeziticus
	—	—	—	in Callimachum

Atque primo quidem obtutu ordinem orationum valde confusum videmus, ut archetypi ordinem enucleari vix posse putaveris. Sed Keilius iam docuit, inter se conexas esse orationes ad Demonicum, ad Nicoclem, Nicoclem i. e. paraeneses, quas hoc ordine in archetypo fuisse ex codicum consensu elucet, quocum conferas argumentum orationis I (cf. Keil. p. 74). Praeterea orationes Helena, Busiris, contra sophistas, Euagoras i. e. encomia a Keilio secundum Urbinatem coniunguntur, cum eadem in Λ quoque et apud Photium inter se cohaereant. At in codice Λ Euagoras inter Helenam et Busiridem collocatus est, quocum convenit ordo codicis Θ, qui hac de causa vulgatae recensione communis videri potest. Apud Photium autem, qui aetatem codicum omnium praecedat, totus hic ordo conversus est, cum orationem contra sophistas primo loco positam Busiris et Helena ordine mutato sequantur, quas orationes Euagoras excipit.

Iam quaeramus, utrum paraeneses ut in Λ, an encomia ut in Γ priorem sedem in archetypo obtinuerint. Etenim hac in re Photii ratio habenda non est, cum aut laudationes ab initio or-

dinis revocatae inter orationes deliberativas aut pars deliberativarum inter paraeneses et encomia interpositae esse possint. Atque codicis Λ ordinem commendare videntur verba, quae in Isocratis vita exstant: ἔγραψε δὲ πολλοὺς λόγους, ὧν εἰσὶν αἱ παραινέσεις, . . . ἄς πρῶτον εἰκότως ἀναγινώσκωμεν, οὐχ ὡς βελτίονας οὐσας τῶν ἄλλων λόγων . . . ἀλλ' ὅτι περὶ ἡθῶν διαλαμβάνουσιν. Sed his verbis nil nisi hoc probatur, auctorem vitae et argumentorum — cui codicem vulgatae recensiois praesto fuisse veri simile est, quia argumenta una codicis Π familia servata sunt¹, cum initio codicis Λ tres quaterniones perierint² — paraeneses hoc loco legisse, praesertim cum verbis subsequentiis demonstraretur, eum haec de suo deprompsisse. Nexus autem orationum ut Urbinatem sequamur suadet. Nam si paraeneses initio ordinis ponimus, Euagoras, qui artissime cum iis coniunctus est, locum longe remotum occupat: initio enim laudationum nusquam legitur, cum in Γ et apud Photium eas optime cum adhortationibus iungat.

Sed ordo laudationum inter Γ et Photium discrepat, quo in discrimine diiudicando momentum faciunt verba, quae in argumentis Busiridis et Helenae inveniuntur: argum. or. XI τοῦτον τὸν λόγον γράφει πρὸς Πολυκράτη τινὰ σοφιστὴν et argum. or. X τινὲς λέγουσιν, ὡς καὶ τὸν λόγον τοῦτον ἔγραψε πρὸς Πολυκράτη(ν), ἐπιλαμβανόμενος αὐτοῦ καὶ ἐν τούτῳ. Quae cum ad pristinam vulgatae formam redeant, unius Photii confirmant ordinem. Praeterea apud Photium, qui hac in re cum codice Θ convenit — orationes X IX XI enim inter orationem contra sophistas et Philippum interponendae sunt — oratio contra sophistas primum locum aptissime retinuit, cum inter Busiridem et Euagoram omnino non quadret (cf. ipsius orationis argumentum, ubi hoc legitur: εἴ γε εἷς ἐστὶ τῶν τεσσάρων ἔγκωμιών). Ideo Urbinatis ordinem initio confusum esse veri simillimum duco.

Iam deliberativas adaeamus orationes, quas in archetypo ut in Γ conexas fuisse Keilio concedendum est. Nam cum apud Photium orationibus XIII XI X XI insertis inter se segregatae sint, in codice Λ coniunctae exhibentur excepto Panegyrico, quem inter Nicoclem et Helenam perperam inditum esse manifestum est. Sed etiam in Λ orationum ordo perturbatus est, quade-

¹ H. Buermann: Die handschriftliche Ueberlieferung des Isocrates. I. Die Handschriften der Vulgata. 1885, p. 10.

² H. Buermann I p. 6.

causa consensus codicum levior est. Atque primum Areopagiticus et Plataicus in Λ commutati in Γ et apud Photium coniunguntur; praeterea in Γ et Photii libro Philippus et Panathenaicus cohaerent, qui in Λ oratione de pace et Archidamo interiectis seiuncti sunt. Quamobrem Urbinatem in universum quidem hac in parte archetypi ordinem servavisse contendere licet; sed accuratius rem exponamus quaestione instituta, qua ratione archetypi recensor orationes disposuerit.

De orationibus forensibus acturi quaestionem difficillimam videri praemoneamus, quia oratio de bigis apud Photium, orationes in Callimachum et in Euthynum in Urbinatate non leguntur. Quas casu in Urbinatate excidisse Keilius affirmavit; equidem eas in archetypo omnino defuisse et postea in vulgatos codices receptas esse suspicabar, sed nunc in Keilii partem cedo.

Orationes enim iudiciales in Urbinatate initium capiunt ab Aeginetico, cum in codice Λ et apud Photium antidosi primo loco posita sit. Atque Urbinatis ordinem eo fortasse defendas, quod unus Aegineticus Athenis dictus non est. Sed praeterquam quod hac de causa aptius in fine corporis positus esset, vulgatae reversionis ordo commendatur nexu orationum. Nam antidosi ipsa non est oratio iudicialis, cum Isocrates post litem peractam coram omnibus ea se defenderit, quo cum orationibus deliberativis comparatur (cf. § 12 ὡς ὄντος μικτοῦ τοῦ λόγου et § 10). Quare antidosi interiecta orationes deliberativae aptissime cum iudicialibus conectuntur.

At Aegineticus in Γ initio orationum iudicialium positus explicandus est, quem cum orationibus in Callimachum et in Euthynum in Γ amissis colligo. Inter easdem enim orationes a Photio legebatur, cuius codex cum Urbinatate congruit Trapezitico et oratione in Lochiten in fine corporis collocatis, cum orationum ordo in Λ plane conversus sit. Nonnullis igitur quaternionibus in Urbinatis archetypo deperditis ordo facile sic immutari potuit, ut Aegineticus a ceteris orationibus abruptus ante antidosin sedem occuparet. Quo principalis orationum iudicialium ordo reparatus est, nam orationem de bigis inter antidosin et Callimacheam ponendam esse postmodo demonstrabo.

Iam pauca de epistulis addere liceat, quae in codice Γ solo servatae sunt. Praeterea Photium habemus, qui ordinem paululum differentem tradidit. Post epistulas enim ad Dionysium et Archidamum in Γ et Photii libro convenientes apud Photium epistulae ad Iasonis filios et Timotheum desunt. Sequuntur quattuor

epistulae congruentes ad Philippum (duae), Alexandrum, Antipatrum, quas apud Photium excipit epistula ad Timotheum scripta, cum in Urbinate et apud Photium finem faciat epistula Mytilenaeorum magistratibus allata. Epistulae igitur ad Iasonis filios apud Photium omnino mentio non fit, cum Photii codex ipso Photio teste (cf. ἀνεγνώσθησαν Ἴσοκράτους . . . ἐπιστολαὶ θ' et τῶν δ' ἐννέα ἐπιστολῶν αὐτοῦ) novem epistulas continuerit. Itaque Coraes apud Photium καὶ πρὸς Φίλιππον τρεῖς pro καὶ πρὸς Φίλιππον δύο scribendum esse censuit, quod non probo. Nam cum Photii exemplar ex communi codicum archetypo originem duxisse constet, Photium et orationem de bigis et epistulam hanc in exscribendo codicis ordine neglexisse veri simillimum est. Codex autem Photii ut in encomiis et orationibus iudicialibus, sic in epistulis Urbinatem superabat. Apud Photium enim coniunguntur prooemia orationum ad Dionysium, ad Archidamum compositarum, quibus certe ut in Γ conexum erat prooemium orationis ad Iasonis filios missae; sequuntur litterae ad Philippum (binae) et Alexandrum conscriptae, quibuscum colligatae sunt litterae commendaticiae ad Antipatrum, ad Timotheum, ad Mytilenaeorum magistratus, cum in Urbinate concinnitas haec epistula ad Timotheum ante epistulas ad Philippum posita turbata sit.

Sed quaeramus, qua ratione recensor archetypi orationes et epistulas disposuerit. Atque de tempore, quo orationes elaboratae sint, ab eo cogitatum non esse apparet, neque Keilius eum orationes quidem iudiciales litterarum ordine respecto digessisse probavit. Sed idem Keilius orationes secundum res tractatas in tres partes disiunctas esse exposuit, quod in singulis quoque partibus valere ex primae partis et epistularum ordine, de quo verba fecimus cognosci potest.

Quod ad orationes deliberativas attinet, Panathenaicus cum Panegyrico eodem consilio compositus est, cum Panathenaicus priorem Panegyrici partem pluribus verbis persequatur. Philippus autem, qui Panathenaicum praecedat, ad alteram Panegyrici partem quadrat. Contra priorum orationum argumenta differunt, cum haud sine causa Archidamus, qui de Lacedaemoniorum rebus conscriptus est, initium ordinis faciat. Sed omnes hae orationes pro contionibus dictas se ferunt. Philippus vero in epistulae modum redactus est, quem excipiunt orationes conventibus solemnibus destinatae scil. Panathenaicus et Panegyricus. Hoc tantum mirum est, quod Plataicum a peregrino de rebus externis habitum inter Areopagiticum et Symmachicum insertum videmus;

sed primo fortasse inter Archidamum et Areopagiticum sedem obtinuit.

Orationum denique iudicialium primam esse antidosin, quia mixti generis est, supra demonstravimus. Sed nondum constituimus, quo loco oratio de bigis ponenda sit, quae encomii speciem prae se fert. Quam aut inter antidosin et Callimacheam aut inter orationem in Euthynum et Trapeziticum collocari licet, cum orationes in Callimachum, Aegineticus, in Euthynum — sive hunc ordinem habuerunt sive transpositae fuerunt — in Γ aut hoc aut illo loco exciderint. Atque hanc collocationem ordo codicis Λ commendare videtur, ubi tamen Aegineticus perperam interpositus argumenti vim minuit. Ideo priorem praefero locum, quo oratio de bigis cum Callimachea coniungitur, quia utrique postulatio βλάβης subest¹. Sequuntur Aegineticus de rebus hereditariis, oratio in Euthynum et Trapeziticus de deposito (παρακαταθήκης), oratio demum in Lochiten de vi (αἰκείας).

Quo Isocratis orationes in archetypo in tres partes septenarum orationum, epistulas in tres partes ternarum epistularum certis quibusdam legibus dispositas fuisse planum fecimus. Codicem autem Urbinatem non omnibus locis principalem orationum epistularumque ordinem praebere intelleximus, cum ex Photii codice cognoverimus, qui primus encomiorum, orationum iudicialium, epistularum ordo fuerit.

Eum ad extremum orationum atque epistularum ordinem propono, quem in archetypo fuisse censeo:

a) Contra sophistas, Busiris, Helena, Euagoras, ad Demonium, ad Nicoclem, Nicocles;

b) Archidamum, Areopagiticus, Plataicus (Plataicus, Areopagiticus?), de pace, Philippus, Panathenaeicus, Panegyricus;

c) De permutatione, de bigis, in Callimachum, Aegineticus, in Euthynum, Trapeziticus, in Lochiten;

d) Dionysio, Archidamo, Jasonis filii; Philippo, Philippo, Alexandro; Antipatro, Timotheo, Mytilenaeorum magistratibus.

Monaci.

Engelbertus Drerup.

¹ Cf. Der attische Process. von Meier-Schömann, neu bearbeitet von J. H. Lipsius, p. 656.